

Ann. IX.

ROMAE, Kal. Iuliis M DCCCC VI.

Num. VII.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libelliarum 4,80;
ubique extra Italianam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKĄ RODZINNA"

VARSIAIE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame

RERUM INDEX

- Commentarii Vox Urbis palaestra.**
De regicidio in Hispania pertentato.
Ex Hispania. - Ob Alfonsi XIII regis nuptias.
Alfonsi XIII regis Hispaniae funestatae per immanem sicarium nuptiae.
De poesi. - IV. Poeticae facultatis utilitas.
Varia latinitas. - Paroemiae sive adagia: Aretum annulum ne gestato. - Ad finem ubi perveneris, ne velis reverti. - Tollenti onus auxiliare; deponenti nequaquam. - Adversus solem ne loquitor. - Hirundinem sub eodem tecto ne habeas. - Salem apponito. - Dodonaeum aes. - Res in cardine.
Geographicæ notæ. - De situ « ultimæ Thules ».
Acta Pontificia. - I. De matrimonii in Imperio Germanico contrahendis. - II. Motu proprio de Sacris Congregationibus super Disciplina Regulari et de Statu Regularem Ordinum existinguendis.
Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.
Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi viri clariores. - Varia.
Annales: Foedus, quod triplex nuncupant, innovatum. - Belgici regis de Congo regione decretum. - Gallicæ atque Italæ feriae. - Mauritanorum discordiae. - Balkanici motus. - Regales nuptiae.
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.
Per Orbem.
Aenigmata.
Libri recens dono accepti.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCC VI

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVI.

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5;
March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mitten-
dum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum
subnotationis mi-
serit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem – bi-
bliopolis exceptis – dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae
locò ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem iti-
nere gratis omnino fruetur.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

COMMENTARIUS VOX URBIS PALAESTRA

Ad magis magisque latitudinem vendam, inter eos praesertim quibus eiusdem custodia in futurum tempus committitur, — adulescentes dicimus qui in ludis litterariis versantur, — hisque ut ex nostra parte animum ad nobilem finem adderemus, paginas nostras quasi palaestram aperire constituimus, in quibus ipsi sese exercere valeant.

Qui igitur latini sermonis in scholis tum athenaeorum, tum etiam secundi ordinis, experimentum aliquod fecerunt, ad nos scriptum suum mittant; qui, dummodo ne a Commentario nostro argumentum alienum sit, in Voce Urbis non modo vulgabimus, sed scriptorem praemio aliquo, studiis suis accommodato, donabimus. Addemus insuper aliquot fasciculi exemplaria, ubi scriptum insertum fuerit, amicis distribuenda.

Ita proposita res est: vos, iuvenes, ac magistri maxime, quibus latinae scientiae tutela committitur et cordi est, favete, perficiatis.

VOX URBIS.

DE REGICIDIO IN HISPANIA PERTENTATO.

FACINUS itaque horrendum anarchistarum factio iterum ausa est. Eius en fautoribus, iam non humano, sed belluino nomine dignis, neque uxorem Francisci Iosephi Caesaris, neque Sadi-Carnot atque Mac Kinley praesides, neque Humbertum regem interfecisse fuit satis, sed nova iam crima moliuntur, novas audent nefandissimas clades. Londinensi in urbe, ubi Anglici libertas eos domicilium habere sinit, nefanda agmina congregantur, suaque facinora parant; hisque nordicae ex Americae litoribus fraterna consilia, Patterson ab urbe, respondent, ubi veluti arcem suam nefarii illi constituerunt. Verum ad immanes caedes non facile Angli aut Germani manus admovent, sed Latini, heu! nostri generis filii, cui maxime impromptum ingenium atque fervens animus est.

Ille mulierem orbatam filiis magno doloris pondere oppressam sica aggreditur, alii reges et praesides manuballista necant; novissimus modo, prudentius ac ferocius non regi tantum, dum ab altari cum recens nupta uxore venit, parat mortem, sed, ut eam tutius provocet, et multitudinis circa regale currum stantis incredibile exitium instruit: quin etiam ignitum globum, calliditate perfida, florum in fasciculo abdit, atque doni et obsequii in modum e fenestra deiicit.

Facinus plane ferinum! Globus antequam solum attingat disrumpitur; ingens spectantium numerum in perystiliis vulnerat atque mactat, mox aliud fragmentum in milites prosilit, decem et amplius necat, populares adstantes confundit, equos interficit; uni incolumes, — divino sane consilio — ipse rex atque regia eius uxor supersunt.

Sicarius inter tumultum aufugit, atque die sequenti tandem, quum a rustico quodam vigili iam sese iri recognitum videt, illum primo prostrat, mox ipse sibi mortem infert.

Hisce gestis modo, quam perfidi plebis tribuni tyrannis atque regibus ferociam improbabant, sibi addixerunt atque docuerunt populum, facti criminum magistri, quae iamdiu et voce et scripto diuturnos per annos regibus incusabant.

Neque enim secus Gallicae maximae seditionis auctores Ludovicum regem interficere iure se posse putarunt, neque Virginius ille Orsinius in Napoleonem Caesarem, neque Agesilaus ille Milano miles in regem suum, protervo et perduelli animo mucronem direxit.

At modo mutata seditionis mente, atque quum a politicis ordinibus innovandis ad totius societatis immutandum ordinem venire cupiant, simili consilio id assequi sese posse credunt, si reges atque principes omnes nullo discrimine e medio sustulerint; amenti consiliorati eo metu funditus vivendi modum et leges evertere sibi licere.



Immane autem hoc odium atque ferinam rabiem fovent et augent insanis plane viri complurimi, qui socialistarum placitis assentient. Ea vero non tantum ad oeconomicam disciplinam innovandam vel ad pauperes sublevandos, vel erudiendos accipiunt, sed et putant et euipunt universam vitae vivendae rationem omnino esse evertendam, ut liceat tandem hominibus eam in terris quam maximam beatitudinem assequi, quam terrena gaudia concedunt.

Incredibilis profecto error: qui non tantum divitiarum ordinem et copiam, sed etiam domestica gaudia et studia communi ritu fruenda

esse more bestiarum retinet. Hoc vero anarchistae illi non antea futurum credunt, quam si omnis auctoritas omneque imperium funditus subvertatur. Quae quam insania atque amentia sint, neminem fugit. Unum contra omnes fugit, unum omnes miramur, quoniam pacto adeo homines decipientur ut talia credere, effari ac profiteri valeant, ut immo iis sententiis confisi iure se posse multorum hominum necem comparare putent, ut haec audeant atque instruant et immani crimen compleant.

Quarum belluarum plane adeo iam flagrat invidia, ut parum tuta ubique auctoritatis persona sit; nisi tandem aliquando tanta criminum audacia permoti principes atque respublicae, vicissim omnes foedus ineant ut pestem tantam purgare, evellere, eiusque germina suffocare, nulla requie, nulla pietate contendant.



Etsi enim huiusmodi viros amentes reputamus, atque sua ideo impietas parum conscient, quia tamen ii sunt unde maximum semper reipublicae et civibus detrimentum immineat, publicae incolumenti consulendum omni ope est, neque cum ipsis aliter agendum quam cum pyratis atque latronibus, qui oppida vel pecudes aggrediuntur atque diripiunt.

Eorum autem coetus et concilia perinde habenda sunt ac sicariorum conventus, qui in unum coeunt sua ut crimina instruant, atque iisdem legibus, quibus criminum auctores puniuntur, etsi manibus sicarii usi sint, hi quoque consiliarii castigandi sunt severissime.

Haec modo ni fiant, nullum effugium iam superesse neque regibus neque civitatum rectoribus existimamus.

EX HISPANIA

Ob Alfonsi XIII regis nuptias.

DUM sollemnes ferias ob Alfonsi regis nuptias tam concordi laetitia ab universa gente videmus celebrari, gaudet plane animus laetos sensus publice aperire eoque magis quod Ibericae fortunae, supremis temporibus, nimias adversitates expertae, una tandem pacis atque concordiae spes viva illucescat.

Puerulus ille, quem iamdiu *el rey niño* cognomine per Europae et Americae oras agnoscetur, vir factus atque audax propositi pariterque tenax regnat, sibique Anglo e regali semine Victoriam Eugeniam de Battenberg uxorem adlegit. Fuerat illi ad lustrales fontes patrinus non sine claro felicitatis prae-

sagio, vir magnus quidem, Leo XIII, cuius adhuc gesta Ecclesia miratur; eum vero aluit atque educavit regnoque disposuit servavitque virtute indomita, prudentia mirabili Christina regina mater, e Teutonum regia gente. Quae, quum, viro iuvenis admodum viduata, ab administrorum praeside Canovas del Castillo rogaretur, quinam modo vir ad publica negotia moderanda sibi esset consulendus, firma voce respondit: Me volo unam iri consultum.

Neque id iniuria; nam etsi supremis hisce annis Iberica fortuna tot pugnas, discordias, seditiones, bella, neque omnia fausta sustinuerit, nunquam tamen mulieris prudens firmissimumque consilium reipublicae defuit, ita ut illud esset passim vulgo receptum, in Iberia unum tantum regimini publico parem esse virum, Mariam Christinam mulierem.

Hac itaque matre exultus ille crevit, cui Caroli V imperatoris et Philippi II solium obtinendum erat. Dum vero adolescit puer, et Carolistarum arma, et varia factionum odia, et provinciarum studia adsiduo fere tumultu regnum agitarunt; accesserunt renovatae semper Cuba in insula seditiones, quoadusque ad bellum contra Americanas nordicas foederatas civitates ventum est. Quo, brevibus proeliis, absumpto, veteris magnitudinis suprema vestigia, Cuba atque Philippinae insulae, nostrorum a ditione avulsa sunt.

Attamen, de ingrato licet eventu grates dare Superis iam nobis suadet exitus, quum abscissis longinquis atque iamdiu aegrotantibus membris, reliqui corporis valetudini consulere omni iam robore liceat.

Quamobrem, hac quoque iniuria Parisensi foedere composita, quum Alfonsus iam natu maior, imperium assequi valuit, omnia instaurata invenit, atque novas versus metas, initam viam vidiit.

Nec regnum tantum a matre veluti instauratum rex habuit, sed ipsam valetudinem, quam quum natura forte gracilem ac tenuem esset sortitus, militaribus laboribus assiduis, ac maxime equitatu et ludis gymnicis omnibus, paulatim plene confirmavit atque corroboravit omnino.

Sed et alaci ingenio praeditus humanitatis omnis studia non sine laude acerime est prosequutus; maxime vero res bellicas et naturae disciplinas una cum bonarum artium litterarumque deliciis. Animum autem habet ardentem quidem et humanissimum, at simul tenacem et constantem: sed ante omnia matri addictissimum, ita ut eius adhuc ad consilium in omnibus confugiat.

Non ita tamen ut dignitatis rex inconsius quam maxime sit; usque enim a puero, quum aetatis studio cedens ad pueriles interdum ludos intenderet, repente saepe aut talos aut nummulos a se abigebat elata voce veluti ipse sibi memorans se regem esse.

Postremis annis ea animi dignitas, quam omnes passim Iberici cives sensim experimur, auctam ille et confirmatam magis magisque sensit, dum militaribus atque navalibus pompis regio modo primum sive Carabanc in campo, sive Bilbaini portus in undis adfuit.

Anno sequenti rex ipse, cedente loco matre, imperium adipiscebat, atque statim ad

exteris gentes instituebat itinera, ut Iberici populi cum proximis regibus vel civitatibus magis magisque amicitiam confirmaret. Quas inter peregrinationes Victoriam Eugeniam hanc, nostri regni modo reginam, cognovit et dilexit, quam hac ipsa Maii mensis ultima die uxorem ducet, dum populus omnis, anglico eius e regio semine regisque ex forti inventute, non pauca genti nostrae bona speramus patriaeque nobilissime fata omnino esse renovanda.



Vix haec dabamus et ad regem plausu salutandum properavimus, regale templum S. Hieronymi ingenti pompa petentem, nuptias initurum. At paucas post horas litterae resumenda sunt, tristi quidem animo ob immane crimen a viro perditissimo, anarchiae, quam dicunt, sectae assecla, perpetratum, quo tot innocentes victimae mactatae sunt! Scelestissimum facinus omnium gentium exsecrationi relinquimus; regi vero atque reginae, quia non sine manifestissimo Dei praesidio, quod per diutissimum regnum servatum iri confidimus, paratam sibi cladem aufugerint, ex animo gratulamur.

Pridie kal. Jun. M DCCCVI, Madriti.

F. D. R.



ALFONSI XIII

REGIS HISPANIAE

FUNESTATAE PER IMMANEM SICARIUM
NUPTIAE.

*Grates, Iberi, solvite Numinis
de Rege salvo deque superstite
Consorte Regis, queis pararat
sacrilegam manus atra caudem.*

*O vim nefandam! quam nec atrocior
tentaret Afer, suetus Atlanticos
inter leones tigridesque
montivagam coluisse vitam.*

*Icto iugali foedere, regias
Alfonsus aedes, dum sonat undique
EVAX triumphorum per urbem,
Eugenia petit assidente.*

*En parricidam cernis in aureum
frendere currum; protinus evolant
mentita florum serta, telis
fulmineis tonitruque plena.*

*Miscentur eheu! funera nuptiis;
lux festa rorat sanguine, fletibus.
Regale Par (mirum videri)
sospes iit, Superis secundis.*

*Ah! iam tuorum desine civium
iactare cultum tu, mea garrula
aetas; nec ultra saeculorum
argue barbariem priorum.*

*Ullone avorum tempore crebuit
sicariorum tanta ferocia?
Orsinianis quot dynastae
missilibus periere nuper!*

*Neve hunc furorem gignit Adamicus
(dos nostra) sanguis, saepe calentior;
arcana tales afflat iras
secta, sigilla ferens trigona.*

*Afflat, rebelles qui regit angelos,
princeps Averni, juris et ordinis
cuiusque sacri seu profani
impatiens, homicida primus.*

*Hinc orta morum foeda licentia;
hinc Numen ausi temnere circuli;
hinc perduelles, vique nitri
dissita mors, labefacta regna.*

*Europa, tandem disce nefariae
spelaea sectae sternere legibus,
stirps unde repit, quae ruinas
accumulat, nihil ipsa condit.*

*Tu, Rex, amata Coniuge ditior,
felix in annos vive diutinos;
pax alma te fortunet; auctos
laude nova videoas Iberos.*

FRANC. X. REUSS.



DE POESI⁽¹⁾

IV.

Poeticae facultatis utilitas.

SATIS mihi multa verba fecisse videor, ut ostenderem nihil origine inspecta sanctius, nihil animadversa natura venustius poesi. Suprest, ut brevi videamus, nihil fine spectato utilius eadem facultate inveniri. Omnibus artibus, sed praeципue ingenuo liberaliterque instituto dignis, finem propositum esse utilitatem, is tantum audet denegare, qui ignorat, easdem, non modo ingenii vim augere mentisque vires excitare, verum, quod maximum est, animum ad virtutem probosque mores informare. Quae sententia ita veterum animis adhaeserat, ut multi sane contendenter, illam esse ex artium numero expungendam, ex qua nihil posset in commodum aliorum proferri. Poesis vero, hunc finem, quem cum aliis disciplinis habet communem, quo pacto assequatur, mecum quaeaso recognoscite.

Hebraeorum poesis omnium prima ad Deum recta dicit, et in Dei operibus enarrandis immorans mentem ad caelestia attollit. Utque pronius animos demulceret, eam musicis concentibus consociavit Iubal Lamechi filius, quem sacris litteris proditum est patrem fuisse canentium *Kinnor* et *hugab*, cythara videlicet, et fistula. Addo et illud; haec facultas divino

(1) Cfr. num. sup.

munere mortalibus tributa sibi quodam iure vindicat, mentem praecedit ad recte instituendam vitam imbuere, mores ad honestum retinque componere, gloriae igniculus in adolescentium pectore delitescentes excitare, et quanta recte factis laus comparetur, quanta ex sceleribus nota dedecoris homini inuratur, docere. Nec vero difficulti et salebrosa viarum ambage ad hanc metam contendit, sed facilimmo tentat aditus; hinc recte Aristoteles affirmit, longe utiliorem esse poesim, quam historiam, quum haec arctius, illa latius pateat.

Sapienter itaque Plato in dialogo de legibus poetam cum industrio medico comparat, qui gravi et periculoso morbo confectum, omniaque artis remedia fastidientem studeat ad pristinas vires revocare, et dulci melle medicata praebeat medicamina, quae aeger saporis suavitate deceptus non respuit. Affirmat autem Strabo omnem aetatem ad rectum atque honestum per poetas fingi. Responsum sane eruditio et sapiente dignissimum reddidit Euripides Aeschilo quaerenti, quaenam praecipua esset poetarum virtus: id praestare, inquit, ut cives a vitio deflectentes animum ad virtutem adiungant. Nec iniuria: non enim, ut quidam falso sibi in animum inducunt, in inanibus sensuque vacuis fabellis poeta immoratur: sed omnis elegans doctrina, omnis eruditio, omnisque ad animum ornandum apta cognitio ex nitidissimo poeseos fonte dimanat. Illae autem, illae ipsae fabellae, quas nonnulli risu dicteriisque ad nauseam usque insectantur, non modo non sunt negligendae ut futilis, verum non sine admiratione legendae, quod obviis rerum imaginibus veritatem involvant, nec mediocrem utilitatem cum leporis venustate coniungant. Cuius sententiae auctores licet innumeri possint proferri, unius tamen divi Thomae verbis ad rem evincendam utar. « Poeticæ fabulae, – sic angelicus scriptor disserit, – idcirco sunt inventae, ut mortales adducerent ad virtutis adeptionem, et vitii fugam: ad quae simplices homines melius representationibus, quam rationibus inducuntur. Duo igitur, – en qua ratione concludit, – in poeticis fabulis reperiri necesse est, et ut contineant verum sensum aliqua similitudine involutum, et ut aliquid utile representationem. Quid apertius dici ab illo disciplinarum magistro, quid certius exprimi poterat? Mirari itaque poetarum solertia ingeniumque debemus, qui finem illum, ad quem assequendum omnes nervos philosophi intendunt, sine labore, nec iniucunde assequuntur. Id vero ut magis magisque innotescat, animo fingite, aliquem philosophum conari virtutis studium adolescenti ieunis pressisque disputationibus suadere, et quid sit rectum et honestum, quid utile, quo virtus, quo ferat error, fuse disserrere. Haerebit profecto adolescens, et quorsum adeo speciosa, adeo sublimia argumenta evadant, vix, aut ne vix quidem intelliget. Contra ea si poeticam descriptionem artis vivo colore depictam, aut veterum evolvas commenta, aures arriget, ac virtutem, quae in narratione eluet, admiratus, in se studebit exprimere. Nonne id nobis, qui plures annos in adolescentibus ad rectas artes, et virtutem instituendis versamur, cernimus evenire? Quum in auctoribus praelegendis ii inciderint loci,

qui poeticis magis sunt decori fabulis, quam subtili veritatis vestigatione ieuni, ora intenti tenent adolescentes, et a loquentis labiis pendunt, et cavent, ne quis interim aut mussitando, aut loquendo, aut pedibus supplodendo magistrum rei totius seriem ordine evolventem interturbet. Quam tenuis laboris tunc est, arrepta occasione, perbreves, at igneas sententias, quasi totidem spicula in eorum animos coniicere, quibus vitii turpitudo, virtutisque decor extollitur. Id quum probe tot summi philosophi noscent, aliquid ex suis laboribus in communem fructum cupientes afferre, sese ad poetas converterunt, omnemque vitae instituendae disciplinam in poeticis imaginibus collocarunt. Hac arte Homerus, Hesiodus, Pindarus, Lucanus, Vergilius, Æsopus, aliique sexcenti veram virtutis imaginem carminibus affabre expressebunt. Nonne, ut aliqua breviter decurramus carminum genera, nonne lyrice summi numinis laudes sublimi carmine perseguuntur, ut veteres Graios fecisse accepimus? Hymnos enim inter sacra canebant, alios in publica pompa, quo in genere Alcaeus, Archilocus, Evmolus, Pronomus, ceterique primi vates praestitere: alios inter choreas, cuius hymni originem multi Anteae, multi Pyrrho, plurimi vero Curetibus tribuunt; alios in lustrationibus, ante aram, sub finem sacrorum. Quid ego illos hymnos perseguar, quos virgines laurea serta ferentes modulabantur? quid illos, quos puerum virginumque chorus saeculo redeunte canebat, ideoque saeculares appellabantur: quum satis constet, huic carminum generi pios animi sensus et vota fuisse concredita? Nonne epicus vates herois mores et indolem effingit, ad virtutem animi eius motus componit, et sapientiae praesidio munitum ad summum gloriae fastigium adducit? Quem qui legens intuetur, quo studio non incenditur, ut illum saepe, quem nec vidi, nec unquam fortasse exstisset novit, sibi ad imitandum proponat? Quid de tragoedia loquar, quae tristes rerum vices, iniquas regnorum fortunas, virorum omni dignitate principum calamitates oculis subiicit, deterretque a vitiis animum, et admonet non cum vitae huius angustiis nostras cogitationes, verum cum omni posteritate adaequandas? Quid de comoedia? Omnes urbanæ nugae, omnes festivi lepores, salesque attici, quibus tota fabula spargitur, quo tandem contendunt, nisi ut omnium irrisione turpes obscoenique mores excipiuntur? Si quempiam profecto senem ab avaritia cupias revocare, non longo orationis ambitu, neque argumentis e penitiore philosophia depromptis tibi opus erit, sed senis avari indolem lepidissime a Plauto in *Aulularia* depictam illi ob oculos ponas, et senem cum ancilla ob frustum obsonii garrientem inducas: hoc pacto et vitium reprehendes, et delectationem excitabis, et finem longe melius assequeris, quam si gravibus verbis atque sententiis refertam orationem in avaros evomisses. Nemo enim est, qui aequo animo sua reprehendi vitia patiatur. Quum vir summi consilii Philippus Abacedo tantas poeticæ facultatis utilitates persentiret, iussit, ut est apud Xenophontem, filium ad Homeri carmina animum appellere, ut ad laudem atque honestatem herorum exemplis excitaretur. Quid plura

persequar? Perantiqui legum latores, auctore Platone, et praemiis et honoribus vates ornarunt, quo libentius civium animos ad recte facta erigerent; nec satis, ipsas leges carminibus commiserunt, ut altius in omnium animis desigerentur.

Sed finis: otio enim abutentis foret diutius in uberrima hac segete immorari. Atque utinam, – praesertim alloquor adolescentes, – aliquis e vestro numero exsurgat, qui tempora laureis sertis redimitus poeticam landem, quam non pauci turpi carmine commacularunt, religionis commendatione assequatur. Vestris perpetuo oculis eorum nomen obversetur, qui hac nostra aetate poesim ad suum munus finemque revocantes, non inanum turpiumque amorum, non ducum aut bellorum narratione, sed mysteriorum, Deique praeconiis aeternum posterrati ad imitandum exemplar reliquerunt.

A. ANGELINI.

VARIA LATINITAS

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Arctum annulum ne gestato.

S. Hieronymus explicat: « Ne vixeris anxie, neve temet in servitatem coniicias, aut in eiusmodi vitae institutum, unde te non queas extricare ». Siquidem quisquis annulum angustum gestat, is sibi quodammodo vincula iniicit.

Ad finem ubi perveneris, ne velis reverti,
aut: « Ne reflectas, ubi ad terminos perveneris ». Hoc est, interprete Plutarcho: « Quum aderit fatalis dies, viderisque vitae finem adesse, aequo animo feras, neque turpi vitae cupiditate exanimaris ». S. Hieronymus aliter: « Post mortem hanc, ne desideres vitam ». Quemadmodum vulgo quosdam dicentes audimus Vergilianum illud:

O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos!

Tollenti onus auxiliare; deponenti nequaquam.

S. Hieronymus hoc ita refert: « Oneratis superimponendum opus, deponentibus non commitendum ». Putat hunc esse sensum: ad virtutem incidentibus augenda praecepta, tradentes se otio relinquendos. Unde proferendum hoc pacto: tollenti onus auxiliandum, hand adiuvandus tamen qui deponat.

Adversus solem ne loquitor.

Hoc est: « Manifestis ne repugnes ». Nam, quod maxime constat, maximeque in confessu est, id sole clarius dicimus. Ergo contra solem loquitur qui dicit: Nihil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

Hirundinem sub eodem tecto ne habeas.

S. Hieronymus, Aristotelis auctoritatem sequutus, interpretatur abstinentiam a commercio garrulorum et susurronum. Verum hoc interpretamentum refellitur apud Plutarchum (*Sympos.*, decad. VIII), quum haud aequum videatur avem domesticam et humani convictus citra noxam amantem perinde ut sanguinariam

et rapacem a nobis propelli. Quod enim de garrulitate causantur, id esse frivolum, quum gallos, graculos, perdices, picas, cumque his alias complures multo magis obstreperas non arceamus a domestico contubernio; immo nihil poene minus hirundini convenire, quam garrulitatem. Ne id quidem accipiendum videtur quod quidam Pythagoricum symbolum ad tragediam, quae de hirundine fertur, referunt, quasi triste omen secum adferat. Nam hac ratione philomelam dicimus eiici oportere, ut quae ad eamdem pertineat tragediam. Itaque vero proprius videtur, — seribit Manutius — ob id improbatam hirundinem, quod eidem malo videatur obnoxia quo infames habentur aves aduncis unguibus. Siquidem carnibus vicitat, et cicadas, animal maxime vocale, ac musis sacrum, venatur; praeterea humi volans minutis animantibus insidiatur, deinde sola avium in tectis versatur, nullam adferens utilitatem... Praeterea natura videtur hominem esosum habere, proinde nec cicuratur, utpote diffidens semper, semperque suspicans mali quidpiam. His de rebus recte Pythagoras convictores, ingratum parumque firmum genus, hirundinis symbolo monuit ablegandum. Huiusmodi ferme Plutarchus eo, quem ostendimus, loco. Quibus illud videtur addendum, Ciceronem, seu quisquis is fuit, in rhetorics ad Herennium infidae amicitiae similitudinem ab hirundinibus mutuari, quae vere ineunte praesto sint; hieme instante devolent.

Salem apponito.

Admonet iustitiam et aequitatem omni adhibendam negotio. Sal enim quidquid occupaverit servat et ex rebus purissimis constat, aqua et mari.

Non bene imperat nisi qui paruerit imperio.

Monet hoc adagium neminem recte dominum agere, qui non ante ministrum gesserit. Aserit Aristoteles (*Politic.*, III), magisque proverbialiter effert Plato (*De Legib.*, VI) scribens illud oportere unumquemque de mortilibus universis cogitare, qui non servierit, eum haudquam dominum fore laude dignum. Plutarchus in *Ducem imperitum* ait: « Neque enim lapsi pares sunt alios erigere, neque inscii docere, neque incompositi compondere, neque ordinare inordinati, neque imperare qui imperium non sit passus ». Idem hoc laudi peculiari tribuit Agesilao, venisse ad imperium non indoctum parere imperio. Seneca (*De ira*, lib. II): « Nemo regere potest nisi qui et regi ». — Natum adagium a nobili illo Solonis apophthegmate, quod in eius vita refert Diogenes Laertius: « Imperium gere, sed ubi prius imperium ferre didiceris ». Itaque referri potest vel ad eos, qui prius alieno parendo imperio discunt imperium in alios gerere,

vel qui prius cupiditatibus imperant suis, quam in alios exerceant imperium.

Dodonaeum aes,

aut: Dodonaeum cymbalum, vel tintinnabulum. — In hominem dici consuevit improbae atque importunae loquacitatis. Zenodotus citat ex *Ariphoro* Menandri. Tradit autem in Dodona duas fuisse sublimes columnas, in altera positam pelvam aeream, in altera pensile pueri simulacrum, flagellum aereum manu tollentis: quoties autem ventus vehementius flaverit, fieri,


quantumvis pusilla de re querulos. Verum Aristoteles hoc commentum ut ficticium refellit, asserens aliud interpretamentum, quod modo retulimus, de columnis duabus et simulacro pueri. — Plutarchus in *commentario περὶ τῆς ἀδολεσχίας* indicat in Olympia porticum quandam fuisse ratione mathematica ita compositam, ut pro una voce multas redderet, atque ob id ἐπτάφων appellatam. Cumque hac confert homines impendio loquaces, quos, si verbulo tangas, continuo referunt tantum verborum, ut nullus omnino sit garriendi finis. — Meminit huius adagii etiam Iulius Pollux, lib. VI, cap. *De loquacibus*.

Res in cardine.

Huic non omnino disertum est illud: « Res est in cardine », quod Servius proverbium esse admonuit, afferens illud Maronis:

... *haud tanto cessabit cardine rerum.*

Putat itaque sic valere, quasi dicas rem in articulo esse. Tullius: « In eo cardo rei vertitur » dixit pro eo quod est: « Ex hoc tota res pendet ». Quintilianus (lib. XII): « Nam ut taceam de negligentibus, quorum nihil refert, ubi litem cardo vertatur... » et (lib. V): « Nam si fatetur, multis ex causis potuit cruenta esse vestis; si negat, hic causae cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit ». Adagium sumptum ab ostiis, quae cardinibus sustinentur atque volvuntur.



Alfonso XIII, Hispaniae rex.

ut, scutica impulsa, crebrius lebetem feriat, isque percussus tintinnum reddat, ad multum etiam temporis resonantem. Alii referunt ad aera Corinthia, quae prae ceteris clarior tintinant. Meminit huius adagii Stephanus in dictione *Dodone*. Iuvenalis ad adagium adlusisse videtur, quum ait:

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas Pulsari,

muliebrem garrulitatem taxans. — Suidas diversam adagii adfert interpretationem. Ait enim oraculum Iovis, quod olim erat in Dodona, lebetibus aereis undique cinetum fuisse, ita ut invicem sese contingent. Itaque necessum erat fieri ut, uno quopiam pulsato, vicissim et omnes resonarent, sonitu per contactum ab aliis ad alios succedente; durabatque in longum tempus tintinnus ille, videlicet in orbem redeunte sono. Putat igitur paroemiam dictam in sordidos et

D^E Thule, incognita terra a remotissimis temporibus ad haec nostra, alii alia scripsere geographi. Rem vero altius repetivit in opusculo suo *praeclarissimus doctor litteris tradendis Hugo Fancelli* (1) ab itinere miris casibus illustri, quod saeculo ante Chr. n. IV se fecisse tradit Massiliensis Pitea. Auctoribus deinde usus graecis et latinis, quibus et pondus adiecit notissimorum aevo medio rei geographicae scriptorum, Fancellius aut probat aut reiicit varias de situ Thules sententias, quas homines docti hac nostra aetate sibi varie coniectando pererunt. Duce autem semper et magistro exquisito recte iudicandi sensu describit, mea quidem sententia evidentissime, Thules terrae situm, qui temporibus diversis exstitit diversus. Itaque Thulen vocant Phoenices et Graeci quae a nostratis *Islanda* dicitur, Tacitus vero quae *Metland*, Ptolemaeus ex iis unam quae nunc *Faroër* appellantur; denique aetate media ineunte idem Thule fuisse videtur ac extrema septentrionalis pars Scan-

(1) DOTT. UGO FANCELLI. — *L'Ubicazione della "Thule"*, (Senis, ex off. Cooperativa, 1906).

dinaviae. Detecta insula quae *Islanda* vocatur, Fancellius opinatur continuas Thules quasi peregrinationes habuisse finem, quae deinceps veluti signum facta est ac divinatio vatibus perineunda, postrema eademque notissima meta exploratoribus terrarum, quae Borealem orbis verticem attingunt. Opportune vero, non historice tantum rem persecui ipse videtur, sed censoria quoque virgula notare, stylum acuens in eos qui libris ad usum scholarum editis incerta saepe atque absona tradunt de situ Thules, spemque concipit futurum saltem ut error de medio tollatur, qui in omnes orbis antiqui chartas irrepsit, situm Thules Ptolemaiae, non ad *Faroër*, sed ad insularum *Shetland* latitudinem desribentes. Post has Fancellii investigationes iam haud licere opinamur unicum Thules situm constitueret et chartas ad usum scholarum exaratas, exhibituras deinde situm huius terrae a Pitea descriptae plane diversum a Thule tacitana, Ptolemaica et qualis a Iordanie et Procopio describitur remotoribus aevi medii temporibus.

F. PELLEGRINI.

bus quidem persaepe perplexitatem, in populo fidei quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminations. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesisb opportunas edere dispositiones et declaraciones, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germa-

parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. — Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi acente iusta gravique causa canonica, datis integre, formiter, utrumque legitimis cautionibus, per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtæ religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribus testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquent, qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiaceant.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capit is Tametsi certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschæ huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. — Ut autem iudicibus Ecclesiasticis tuta norma praesto sit hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statim ac decernimus de matrimoniis acatholicon, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicon coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro

ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicon cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. — Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephe merides dioecesanias aliosque opportuniros modos ante diem Paschæ anni currentis cum clero populoque fidei communicent.

Datum Romæ apud S. Petrum, die xviii Ianuarii M DCCC VI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.



Victoria Eugenia de Battenberg, Hispaniae regina.

niae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitione mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, facilitori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. — In universo hodierno Imperio Germaniae caput Tametsi Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschæ (idest a die decimquinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram

ACTA PONTIFICIA

I.

De matrimoniis
in Imperio Germanico
contrahendis.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latise dispositus quae ad christiano-nrum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum predictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimurum cum ex voluntate Concilii caput Tametsi non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coepit quam in illis rite esset promulgatum et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudici-

II.

MOTU PROPRIO

de Sacris Congregationibus super Disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum extinguendis.

PIVS PP. X.

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplum aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die XVIII Iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus*, Congregationem instituit super *Disciplina Regulari*; quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere, quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem de *Statu Regularium Ordinum*, quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die VII Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis*.

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur haec duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super *Disciplina Regulari* iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de *Statu Regularium Ordinum* munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature persensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super *Disciplina Regulari* tum de *Statu Regularium Ordinum* penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Maii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in mundo.

S. BERNARDUS.

Quibusdam saepe virtutis magnitudo perditionis occasio fuit, ut quum de confidentia virium inordinate secuti essent, per negligentiam inordinate morerentur.

S. GREGORIUS.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgenciarum et Sacrarium Reliquiarum:

Decreto quod sequitur, d. IV mens. Febr. MDCCCCVI ed., indulgetur ut qui quotidie sacra synaxi reficiantur (1) quascumque possint consequi indulgentias etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria est:

«Sanctissimo Domino nostro Pio PP. X vel maxime cordi est, ut efficacius in dies propagetur, ubi resque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae, rectaque cum mente, ad sacram Communione quotidie sumendam accendant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis, qui memoratam consuetudinem habent, aut inire exoptant, speciale merito gratiam elargiri statuit. Clemens porro PP. XIII f. r., per decretum huius Sacri Ordinis, sub die IX m. Dec. a. MDCCCLXXXIII, omnibus christifidelibus, «qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impeditantur, consueverunt, et nullius lethalis culpe a se, post praedictam ultimam Confessionem, commissae sibi concii sunt, indulxit, ut omnes et quascumque Indulgencias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgencias Iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto peraganter». Nunc vero Beatissimus Pater Pius X, omnibus christifidelibus, qui in statu gratiae, et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare consuescant, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis PP. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin, ad Indulgencias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria exstaret. Hanc insuper gratiam eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valitaram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus».

Collectae ab Episcopo seu Ordinario loci imperatae, quae simul cum orationibus a Rubrica praescritis septenarium numerum excedunt, omitti debent. (Ex decr. d. XIX mens. Ian. MDCCCCVI).

Sacerdos, sacris vestibus sacrificii indutus, non potest administrare sacram Communionem, data etiam rationali causa, ante vel post Missam solemnem aut cantatam, aut etiam Conventualem, sicuti permittitur ante vel post Missam privatam. (Indidem).

In processione, quae die I mens. Augusti sub vespere fit per ecclesiam et ante Conventum per aliquot passus, ad annuntiandam sive incipiendam Indulgenciam Portiunculae, sacerdos pluviali albo indutus gestare potest Reliquiam S. Francisci, recitando vel cantando aliquem hymnum in honorem eiusdem Sancti; non vero tabellam cum inscriptione Indulgenciae Plenariae, quae affigi debet, si placeat, ante portam ecclesiae. (Indidem).

Pro valida consecratione altaris fixi vel portatilis sufficit ut in sepulchro includantur reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel unius solummodo Martyris, quum non sit omnino necessarium ut in sepulchro deponantur reliquiae plurimorum Martyrum. (Ex decr. Vilnen. d. XVI mens. Febr. MDCCCCVI).

(1) Cfr. decr. Congr. Concilii, in *Vox Urbis* an. IX n. IV pag. 30.

— Quum fleetendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem) flectioni genuum addenda est inclinatio tantum mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda. (Ex decr. Soc. Salesianae d. XVI mens. Febr. MDCCCCVI).

— Petitioni ab eadem Soc. factae utrum, quum expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat et quum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debeant ceteri qui genuflexi adsunt adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitum, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam adhibere, responsum est: «Nulla reverentia facienda est».

— Celebrans antequam surget recitaturus orationem *Deus qui nobis sub Sacramento etc*, vel ad altare ascensurus ut populo benedicat, aut etiam postquam, Benedictione impertita, ab altari descendit et genua flexit in infimo gradu; itemque expositor antequam surget ascensurus ad altare ad deponendum e throno SS. Sacramentum, nullam reverentiam facere debet; celebranti vero et ministris surrecturis ad imponendum incensum inclinatio mediocris facienda est. Acolythus denique antequam surget iturus ad abacum ad velum accipiendo nullam reverentiam facere debet; at si transeat ante altare, in medio genuflectere tenetur. (Indidem).

— Mos apud Subalpinos receptus secundo thus imponendi post cantatam orationem *Deus qui nobis*, etc. non est servandus. (Indidem).

— Sacerdos qui SS. Sacramentum exposuit et ab altari descendit thus impositurus utroque genu flectere debet in infimo gradu, inclinationem mediocrem facere, deinde vero assurgere et ponere incensum in thuribulo; non quidem statim absque genuflexione incensum imponere, ut quidam eruunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII c. II § 3 n. 5. (Indidem).

— Dum Celebrans canit orationem *Deus qui nobis*, etc. ministri genuflexi manere debent librum sustinendo iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. II cap. XXXIV, n. 27. (Indidem).

— Celebranti in impertienda Benedictione cum SS. Sacramento ministrare queunt, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti si Benedictio cum SS. Sacramento fiat immediate post Vespertas sollemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab altari; dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat et reponat SS. Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat. Non vero diacono et subdiacono, dalmatica et tunicella indutis, adiungi possunt duo vel quatuor clerici induti pluviali. (Indidem).

— De clero, loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa ministrante, per Decretum a S. R. C. editum die XIV mens. Martii MDCCCCVI haec, quae sequuntur, constituta sunt:

1. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemani, numquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltum sacra tonsura initiatus.

2. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia, quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant, rite expletat, hisce tamen exceptis: a) aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus praestabit; b) calicem ipsum infra actionem numquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; c) post ablutionem, calicem non absterget (abstergente ipso Celebrante), sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa, et ad mensam deferat.

3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alii Sacerdoti in Missa solemani sine Ministris inserviat, saltem tonsuratus

esse debet, si alias Minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest, quae in Caeremoniali Episcoporum lib. I, cap. xxix dieuntur pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quae supra n. 2 prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper: a) calicem ante Offertorium non abstergat; b) nec vinum nec aquam in eo infundat; c) nec patenam cum hostia, nec calicem Celebranti tradat.

5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa cooperatus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi et ad altare discooperatum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa cooperatus in abacum deferri.

7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu, calix velatus ante Missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat, ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem adscistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collatus, absoluta Missa in Sacristiam deferatur.

— Circa insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia quibus Protonotarii Apostolici frui possint, praescriptiones in *Motu Proprio* « Inter multiplices » d. XXI mens. Febr. M DCCCC V (1) contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint, libere ac licite retinentur; quae vero contraria exstant, ea tamquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis. Si autem dubia deinceps hac super re adhuc oriantur, illa Ordinarii locorum ad Commissionem penes S. R. C. peculiariter ad hoc institutam deducant, quae, servatis dispositionibus in laudato *Motu Proprio* sanctis, suffragium suum queat proferre. (Ex deer. d. XIV mens. Martii M DCCCC VI).

DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI mens. Maii. — d. XXI mens. Iunii M DCCCC VI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliosque viros, qui sui cuiusque munera gratia Pontificem de more adire, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Hispani Gallique peregrini ab Episcopis suis coram adducti; Adulphus de Urquijo marchio, Cantabricae provinciae praefectus, eiusque consiliarii Aloisius Menaca, Georgius Arboiza, Isidorus Leon, Antonius Arraste; Parmensis dux eiusque familia; Alexander Ruspoli, princeps Urbanus, Magistri S. Apostolici Hospitii coadiutor; reverendissimus p. Antonius a Virgine Immaculata, Ordinis SSmae Trinitatis pro redemptione captivorum praepositus recens electus; excellentissimus vir Sebastianus Nicotra, Apostolicae legationis Vindobonensis iudex, seu auditor; Ildebrandus De Hemptinne, Abbas Primas Monachorum S. Benedicti; Adulphus Brattina, praepositus generalis cleric. reg. Scholarum Piarum.

Pontificiae electiones.

Excellentissimus vir Iosephus Aversa archiepiscopus Sardian. et legatus apostolicus ad Cubam et Portorico insulas creature.

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. VIII, n. IV, V, VI.

— Reverendissimus vir Humbertus Benigni Congregationis negotiorum ecclesiasticorum alter a secretis dicitur.

— Excellentissimus vir Paulus Fioravanti, Episcopus Verulanus, inter Episcopos Pontificio solio adstantes refertur.

Vita functi viri clariores.

Olisippone excellentissimus vir Iosephus Macchi, archiepiscopus Thessalonicensis, Nuntius Apostolicus apud Lusitanos, Praeneste natus d. X mens. Iulii an. M DCCC XLV.

Varia.

Die XXVII mens. Maii in Vaticana basilica « Beatorum honores » decernuntur sororibus Carmelitis Theresiae a S. Augustino eiusque sociis (1) e monasterio Compendiensi, in Galica eversione ob odium Christianae fidei interemptis an. M DCC XCIV. Ad vesperum Pontifex ipsam basilicam veneratus adit.

— Die XXIX in aedibus Vaticanis « Congregatio praeparatoria » habetur ad disceptandum de duabus miraculis, quae a Deo patrata feruntur intercedente B. Petro Aloisio Chanel, Sacerdote, primo Christi martyre in Oceania.

— Die IIII mens. Iunii in Xystino sacello sollemnia adstante Pontifice celebrantur ad grates Deo agendas ob Alfonsi XIII, Hispanorum regis, vitam a nefario crimen servatam.

— Die X in Vaticana basilica inter « Beatos » refertur Bonaventura a Barcinone Ord. Minor. S. Francisci, Strictioris Observantiae instaurator. Pontifex de more in basilicam ad vesperum descendit.

ANNALES.

Foedus, quod triplex nuncupant, innovatum.

Gravissimum plane id novissime fuit, reges Germaniae, Italiae atque Hungariae invicem litteras commutasse, quibus alter alterum de immutato semper triplici foedere certiore faceret. Omnes autem hanc firmatae fidei obtestationem audire libentissime: quod enim vigesimo iam ab anno foedus perdurat, id Europaeorum pacis tuendae princeps munimentum apparuit. Et quia ex Mauritanio illo apud Algeciras conventu nonnulla discordiarum semina oborta dictabuntur, publica haec immutatae amicitiae attestatio subditorum animos non sine causa commotos mire composuerunt.

Fiebant haec enim dum nova per Turcarum fines odia et studia et civiles pugnae et depopulationes cladesque fervent. Quorum causa timebant plures ne Itali adversus Austros sua consilia molirentur, neve Germanicus Caesar Turcas ita tutaretur, ut nullam fieri iustitiae partem toleraret. Sed Goloucowskij ille Austriacae publicae rei gestor cum exteris adeo callida prudentia tot odii causas removit, ut omnis plane metus diffugerit.

Aderat namque Vindobonae ac Franciscum Iosephum visitabat Guilelmus Caesar, quo coram solemnissima militaris pompa habita est. Ea vero Moltke quoque ducis, viri strenuissimi, in honorem ducenda erat; sed valetudinis causa nequivit senex ille imperator pompa adesse. Verumtamen, visitationis hic princeps fructus apparuit, triplex foedus iterum esse confirmatum.

(1) Eorum nomina iam retulimus in n. V huius anni, p. 88

Belgici regis de Congo regione decretum.

Qui Congo fluminis in regione de magistratum militumque actis inquisierant suam tandem quaestionis relationem redegerunt typisque mandarunt. Subduntur Leopoldi regis epistole duas, quibus ille, innovanda multa quae proponebantur decernens, sua in regnum iuris tantum tradita iterum asseruit, atque solemnni veluti forma sancivit.

Gallice atque Italae feriae.

In Gallia quum Fallières praeses ad gymnasias pompas sese contulisset, ut earum feriis praeesset, Italicos quoque athletas multa cum humanitate exceptit. At cleris quoque sua erga patriam studia iterum coram praeside confirmavit, quod inter hodiernas luctas aliquod futurae pacis indicium apparet.

Simplone autem effuso monte ductoque ab Italies cuniculo ad Helvetios, Italiae rex sollemnibus ad hoc paratis adfuit, unaque cum eo Forrer, civitatis Helveticae praeses; quos inter tum Brigae tum Domodossolae poculis vicissim auguralibus omnia fausta bona utrique genti nuncupata sunt.

Mauritanorum discordiae.

Italici legati Mauritanorum ad imperium sese contulere, ut ad eius regem Algecirani coetus foedera traderent obsignanda. Verumtamen imperii quies nondum restituta est, quum adhuc eius per regiones latronum passim facinora impune patrentur, neque ulla tutela viarum aut commerciorum sit, nec ulla civium peregrinorum libertas. Quamobrem, nisi eae cito vigilum manus, quas Galli sibi comparandas et instruendas accepere, per regiones imperii coiverint, vanum plane opus legati gentium Algecira perdidisse credimus.

Balkanici motus.

Balkanica quoque pericula iterum flagrant. Quamquam enim Varnae in portu aperiendo augurali concordia Bulgari Serbique ac Rumeni feriis adfuerint, eorum tamen studia contraria semper perdurant. Patet quidem, idque optime, « ferrea Danuvii porta », eiusque per undas ad Euxinum pontum regale volvitur iter; sed Rumeni atque Graeci iamiam ad arma concurrunt. Rumeni quadragesimam anniversariam diem ab regis ad solium adventu solemnissime celebrarunt, lata quoque lege ut publicum agricolis aes alienum ex parte remitteretur. Verum Macedonum per fines non sine contumaci animo, valaki, quos nuncupant, incolae suam in partem pertrahere rem visi sunt, acerrimeque Graecis ita obsistere, ut Graecorum manipuli et valakorum invicem saepe per oppida pugnarent seque interficerent. Quarum rerum exitus fuit amicitiae inter utramque gentem perturbatio, qua tandem utraque ex parte legati ad suos cives regressi sunt.

*
Regales nuptiae.

Memoranda postremo sunt Iberorum regis nuptiae, de quibus alias in his Commentarii paginis late scriptum est, ob crimen horrendum a Morales illo amenti atque efferato viro pertentatum; qui tamen sui ipsius facinoris ultionem, ne publica afficeretur poena, necato etiam vigile qui eum detexerat, morte sibi proenarravit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
LEGIBUS FERENDIS.

In Austria, obortis cum finitimi Hungariorum discordiis gravissimis, Hoenlohe vir princeps, qui collegio administratorum praeverat, se munere abdicavit. Cui successit Maximilianus Beck dynasta, Imperatoris haeredi amicissimus, qui et Germanos et Bohemos et Polonos ad rem publicam simul gerendam advocavit. Eius auguralis oratio non sine pacis maximo augurio exaudita et probata est.

In Belgica electiones ad populi legatos deputandos habitae, iterum iterumque catholiconrum parti, quae iam viginti et amplius ab annis republicam moderatur, omnino favent, quamvis omnes in eam adversarii vires suas in unum contulissent.

In Gallia vehemens disceptatio habita est de legibus pro opificibus ferendis inter Clemenceau, novum administrum adlectum, atque Jaurés, socialistarum factionis principem, qui et decerni statim bonorum publicationem, et ius cogendi opifices ad desertiones petebat. Oratio quam Clemenceau habuit ut in omnia Galliae municipia vulgaretur publico decreto imperatum est.

In Germania expleta sessionum serie, aestivae feriae decretae usque ad Idus Novembres.

In Graecia, quum quem reipublicae administrari candidatum designaverant ut legatis populorum praeesset, adamussim suffragio fere unanimi electus sit, legatorum studia diu administris propitia futura praenunciantur.

In Hungaria multas post discordias, tumultus ac seditiones Wekerle praeside administratorum electo, accidit ut eius placitis concordi suffragio cives tandem assenserint. Eam ob rem quae maxime urgebat lex de delectu militari habendo pacifice lata est.

In Italia novum administratorum collegium constitutum, praeside Ioanne Giolitti.

In Lusitania Hintze Ribeiro eiusque socii e munere recendentibus, Franco, vir prudentissimus, eis successit. Is autem decretum a rege ut populares legati dimitterentur atque ad novos eligendos comitia indicarentur obtinuit.

In Russia acerrimae magis in dies discordiae inter administratorum collegia ac populi legatos fiunt: de lege agraria, de iure suffragii dilatando, de maiestatis crimine abrogando vehementissime disceptatur. Plebis autem discordiae cladesque intestinae inter varias populorum stirpes non sine causa tantae legatorum invidae respondent.

In Suetia Lindemanio doctori mandatum est ut novos eligeret administris qui secum ad rem-

publicam gerendam accederent; quod illum iam fecisse accepimus. Modo de iure suffragii innovando rogatio offeretur.

PER ORBEM.

Die xx mens. Aprilis, malo fato, oneroso plaustro infractus, diem obit supremum Petrus Curie, qui novum idque potens corpus invenit, radium appellatum.

— d. xxi ex Nordica Gallia dimications inter milites et operarios, qui ex condicto ab opere recesserunt, nunciantur.

Olympici ludi Athenis sollemniter fiunt.

— d. xxiv ex Peruviana civitate accepimus pestem Limae in urbe capite late grassari.

— d. xxvi Romae, in « Iustitiae » novis aedibus Conventus doctorum in chymicen incumbentium congregatur.

S. Francisci in urbe Americae septentrionalis, terra iterum submovetur; pariterque in urbibus Oakland et Barklai; quum tamen bono alite nulla hominum caedes fiat.

— d. xxviii Mediolani, coram Italorum rege, eius foemina atque archiepiscopo, omnium artium recognitio inauguratur.

Alii terrae motus ex California regione referuntur.

Die i mens. Maii opificum quem dicunt dies festus tranquille passim per orbem, si Galliam exceperis, agitatur.

— d. vii grossopii operarii quum Augustae Taurinorum ex opere recesserint, tumultus in eadem urbe ita excitant, ut militum vis ad eos coercendos adhiberi necesse sit. Socialistarum factio ad suam utilitatem re utitur, omnium opificum in Italia a laboribus desertionem sub oppositionis specie promovens. Inde publicae quietis perturbatio passim oritur, Bononiae praesertim ac Romae, die mensis x et xi.

— d. x publicus Russiae coetus legibus ferendis (*Duma* vocant) Caesaris aditiali oratione Petropoli primum cogitur.

— d. xiv Calari in urbe Sardiniae aliae a socialistis promotae rebelliones eveniunt, non sine sanguinis effusione.

— d. xv atra procella Lovanii furit, eandem urbem, pariterque Blancquit et Kesiloo oppida, inundans.

— d. xix via per Simplonem montem aperitur coram Italiae rege et Helvetiae reipublicae praeside.

— d. xx Michigan et Wisconsin in Septentrionalis Americae regionibus silvae latissimae igni comburuntur: incolae in iisdem ac prope habitantes vix flammarum vim effugiunt.

— d. xxiii Christiana in urbe septuaginta et octo annos natus supremum obiit diem Henricus Ibsen, dramatum scriptor notissimus.

Sardinia in insula passim fodinarum artifices labore sese abstinent et tumultus procurant, quos ad reprimendos milites armis uti coacti sunt; unde caedes et vulnera.

Atra procella Maioricam insulam late per vastat.

— d. xxx Lutetiae Parisiorum Gallici episcopi congregantur de rebus catholicae ecclesiae post latas recens leges unicum consilium capturi.

— d. xxxi Madriti nuptiae Alfonsi XIII, Hispanorum regis, cum Eugenia Victoria de Battenberg sollemni rito in templo S. Hieronymi celebrantur. Dum vero pompa ad regias aedes ovante et gratulante populo reddit, in via quae Maior dicitur, in regalem currum intra florum fasciculum ignifer globus nefarie immittitur, qui mortem et vulnera late circum adducit. Augusti tamen principes fauste ac feliciter sospites evadunt.

— d. xiv mens. Iunii Bielostock in oppido Russico ignifer globus immittitur in religiosam pompam Christi Corpus per vias deferentem. Quum fama manasset crimen ab Hebraeis patratum, populus contra eos armata manu insurgit; inde caedes, incendia, depopulationes, quae vix Imperii milites cohibere valent.

AENIGMATA.

I.

Allicit et rabidas mira dulcedine tigres,
dum ferit argutae pollice fila lyrae.
Litera si adiicitur, tacitis circumvolat alis
et levibus nebulis lumina mulcet iners.

II.

Me verni flores pariunt et priscus Osyrus;
me sine, nil pueris utile, dulce nihil.
Litera mutatur? Caveas: nocitura bibenti,
impuros latices litera nigra gerit.

I. B. PESENTI.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet FRANCISCI XAVERII REUSS carmen, cui titulus:

POETARUM MIXTA AERUMNIS GAUDIA.

Aenigmata an. IX, n. IV proposita his respondent:

1) Phoenix; 2) Situlus, Situla.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — F. Arnori, *Mediolano*. — Renk par., *Davenport*. — V. Starace, *Neapoli*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — I. Ortiz, *Morelia*. — G. Müller, *Berolino*. — F. Guerra, *Aetlio*. — I. Walter, *Neo-Eboraco*. — Arn. Blekman, *Haga*. — V. Bonaiuti, *Roma*.

Sortitus est praemium:

ARNOLDUS BLEKMAN,
ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Tria cantica de Beata Maria Virgine edidit FRANCISCUS SZYMANSKI sacerdos. — Posnaniae, ex off. S. Adalberti, M DCCCC VI.

F. M. ENIGMA. La setta verde in Italia. Lavoro interno. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., M CM VI. — (Ven. lib. 0,60).

V. ERMONI. L'Eucaristia nella Chiesa nascente. — Indidem. — (Ven. lib. 0,60).

ALBERTO DUFOURCQ. Sant'Ireneo (Dalla seconda edizione francese). — Indidem. — (Ven. lib. 2).

VICTOR PIERRE. Le sedici BB. Martiri Carmelitane di Compiègne. — Indidem. — (Ven. lib. 2).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

ZENO — Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli.

(6)

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

Gazaee, perge; regiam cautus subi;
Mox innocentem siste Caesaribus chorum.
Lugubre videant agmen, et suum legant
In fronte moesta crimen: his victi malis,
Forsan stuporem mentis infringent suae.
Tibi fas iubere: nos decet iussa exsequi.
Ego vota pronus interim et castas preces
Numerabo ad aras. Coepta fortunet polus!

EXPLICIT ACTUS I.

ACTUS II.

SCENA I.

ANASTASIUS, LONGINUS dormiens.

ANAST.(1) Secura vulpes prodit, ubi dormit leo.
Manu volumen amove; oratum est satis;
Alter legendus, mente suspensa, liber.
Heu! Monstra rerum! Friget attactu manus;
Horrescit animus. Scripsit has Pluto notas?
An quae cruento pascit humano fibras
Megaera? Tabulas Ditis e regno datas
Iurabis, isthaec quisquis auditu bubes (2).
EUPHEMIANI MAGI DE ZENONIS INTERITU VATICINATIO.
*Sepultus ante fata sub tumulo evomet
Animam scelestam.*
Crudele lethum, fateor; horrendis tamen
Vix par sceleribus.
Regis parricidae brevis character.
Alumnus aulae, fronte mentitur fidem,
Ius fasque; verbis, corde meditatur nefas.
Caedis artificem polus
Si me notaret, grande meditarer deus.
Qui ob suspicionem statim de medio tollendi:
Praecessit Euphemianus magus; sequantur
Gazaeus rhetor, Harmatius militiae
Praefectus, Pelagius patricius
Aliiique horum fautores.
Immane monstrum! Quantus undabit crux?
Sebastianus et Urbitius in societatem
Consilii admittantur.
Gemina Acherontis capita! Par dignum styge!
Quid Anastasius?
Simplex et probus, nec fide, nec time.
Bene est. Tenemus. Stent (3) suo tabulae loco.
Hoc est profecto, vota quod spirant mea:
Tandem doloso campus ingenio patet.
Nihil timemur? Falsa iam pietas placet.
Securus, omnes ire per fraudum gradus
Ad sceptra possum. Fata, mens, tempus vocant;
Certant in omne facinus Augusti duces
Odiisque miscent odia, sceleribus scelus,

(1) Anastasius (quem carminis gratia Anastum auctor vocat)
prodit, libellum pium manu praefferens, legenti similis. Quum videat
Longinum dormientem eiusque pugillares ad terram lapsos, libel-
lum suum reponit, et Longini pugillares furtim accipit, ac legit.

(2) Legit in pugillaribus Longini.

(3) Reponit pugillares ad pedes Longini dormientis.

Furiis furorem. Pacis egregios toga
Belloque proceres, clade truculenta necant.
Hinc turba rerum; vastus hinc regni tremor
Tumultuantis. Miles ad ferrum ruet;
Ad vota vulgus. Tectus interea dolis,
Ego turbulentu sceptra piscabor lacu.
Gradiar in altum tutus: O quantum bonum est
Simulata virtus! Saepe mendaci gradus
Patuit honoris, vera dum pietas stetit
Procul repulsa. Me meus foget dolus:
Facies theatrum; vultus auctorem refert.
Ambio, sed altam vultus occultat febrim;
Odi, sed iras frontis officium regit;
Rides, sed odium risus aeternum foget;
Audeo, sed ensem condit audacem sinus;
Vinco, sed aquilas nemo victrices videt:
Intus Nerone peior, at foris Cato:
In ore pietas fulget, in oculis pudor,
In voce pondus, candor in verbis, modus
Gestus per omnes: corde sub nigro lues,
Fraus, livor, ira, fastum, invisum scelus,
Et styx, et Orcus, et Furiae, et avidum Chaos!
His ego ministris utar occultis, suas
Dum fronte Mimus sustinet partes dolus.
I nunc, cruentus Caesar, et stylo nota:
« Simplex et probus, nec fide, nec time ».
Simplex Anastus? Peius haud umquam duplex
Saevit Ulyxes. Pallidi Acherontis plagas
Minus latratu terret horribili triplex
Molossus, ut me regna quatinent tua
Horrebus; astra iuro. Quid monstrum triplex?
Lentius in astra centuplex quondam Gyges
Contorsit ignes, ut per Augusti lares
Bacchabor ira, fraude, Furiarum face.
Simplex probus? Firmor; inveni viam.
Saevite, fratres; funere heroas date,
Spoliate regna ducibus, eruite omnia;
Ego inter istas orbis accensi faces
Simplex probusque video (1)... Antiquas locus
Reposcit artes.

SCENA II.

ANASTASIUS, GAZAEUS, CHORUS PUPERORUM, LONGINUS.

ANAST. Gratus advertis gradum,
Gazaee.
GAZ. Moestum dubius admoveo gradum.
O sortem acerbam! Quid prius luctu querar?
Communis aegro languet imperio salus.
ANAST. Languere membra capite vitrato solent.
GAZ. Nil usque tutum; quae per annorum vices
Stetere, pulchra stirpe florentes domus,
Late eruuntur: orba puerorum cohors
Gemit peremptos chalybe Caesares patres.
Quousque iustas lentus in poenas Deus
Suspendis ignes?

(Ad proximum numerum).

(1) Prodit Gazaeus. Anastasius se statim ad pietatem componit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCII MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congagationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞